

APOPHORETA. ARCHIBALDO ANGUSIAE COMITI,
amoris et officii ergo.

Inclyta, ab innumeris atavis, Douglesia proles,
Nominis, et patriae, spesque, decusque tuae.
Primitias merito studiorum, cerne, dicatas,
Cui cuncta ut Domino debet uterque suo.
Nomina missa alio; Sed adhuc mihi Verba supersunt, 5
Quae tibi sacraro, ni tibi verba darem.
Hanc igitur noxam, liceat rogo, deprecer unam;
Et tibi Verba dabo; nec tibi verba dabo.
Cur tibi Verba, rogas, et cur dico Nomina Regi?
Conveniunt Regi Nomina, Verba tibi. 10
Regia cum teneat signataque Nomina Fastis,
Hic nova, jure suo, tu tibi nulla petis.
Utrivis scelus est, et acerba morte piandum,
Ast Regi gravius, quam tibi, verba dare.
Sunt promissa levis, fateor, velut umbra; Sed auctor 15
Officiosus adest; obsidis instar habe.

D. PATRICIO LINDESIO SUPREMI
apud Scotos ordinis: Iacobo filio, ac Iohanni Nepoti.

Sumite devoti, rogo, munera parva clientis;
Officii, testes, Mnemosynonque, mei.
Nolumus ὄψιμαθής sit avusve, paterve, Palaemon,
Sed volo πατερομάθής tertius ille siet.
His studiis Graias societ Latiasque Camoenas, 5
Sic animi geminet nobilitate genus.
Regis splendor erit, decor orbis, avique, parentum
Delicium, et patriae gloria, luxque, sua.
Calcar ad haec doctus Propatruus excitet, ille
Quem pridem Musis mors inimica tulit. 10
Quem licet eripuit genti mors invida vestrae,
Pars melior vitae, fama, superstes erit.
Sis avus ipse diu, premat hic vestigia gnatus,
Et maneat longum spes gregis ille nepos.

AUCTOR AD LIBELLUM

Audebisne (malum) Proceres tot adire? nec effrons
Censuram exhorres, nostra Thalia? Redi.
Imprudens etiam Regum concendis ad aulas?
Quin mage, Grammatico pulvere, serpis humi?
(Th.) Nil est quod metuam caros Heliconis alumnos, 5
Pieridum dederant nomina scripta choro.
Nam, vel continuo Musas comitantur amice;
Vel comes hos semper turba togata colit.

D. IACOBO WILLICHIO SACRAE
Theologiae professori, Academiae Andreanae Procancellario.

Has (Leonardinae, moderator summe, juventae)
 Quas mittit grates gratus alumnus, habe.
 Quod me tam facili es semper complexus amore,
 Quodque meis studiis auctor, et altor eras;
 Si minus optatas potero persolvere grates,
 Haec animi grati symbola grata tene.
 Parva quidem, fateor, sunt haec chartacea dona;
 Pro magnis, liceat, parva repono tuis.
 Nec nova sunt, vestris Leonardi e fontibus haus;
 Quae prius abstuleram munera, reddo libens. 5
 Si mihi porrigeret noster Dunpendrius algens
 Quae preciosa suis Tmolus opimus alit;
 Vel refluus Tinae flueret Pactolus in undas,
 Seu dives rutilas adderet Hermus aquas;
 Munere tunc possem multo uberiore Magistro
 Liberius grates significare meo.
 Sors negat ista mihi, vel quae dedit, extera Tellus
 Munxit, adest quod dat nostra Minerva, cape.
 Praeside te, vigeat felix Academia longum;
 Et valeat vestrae turba diserta Scholae. 10
 20

D. ANDREAE MELVINO, THEOLOGO
 Integerrimo, Collegii Mariani Praesidi.

Mitto perexiguum, Musis dilecte, libellum
 Iudicium metuens, Archipoeta, tuum.
 Ipse etiam jussus renuit prodire, nec audet;
 Hunc licet ex Aula vix revocare queam.
 Ora, manus, calamos, morsus praesagit, et unguis; 5
 Horret Aristarchi jura subire sui.
 At postquam his verbis blande compello, redibis
 Comtior ad praelum, ne vereare, tuum.
 Annuit, et trepido crevit fiducia; quanquam
 Nuncia, dissimilis, Bellerophontis habet. 10
 Ergo age, nec frustra timeat, censura placebit,
 Seu probet, aut codex si una litura foret.
 Non est quod metuas, impune Philoxenus esto,
 Iudicio accedat postuma lima tuo.

AUCTOR AD LIBELLUM.

I patriae, uxori, gnatis, carisque propinquis,
 Dic, longae fuerit quae mihi caussa morae.
 Et decimas nostri patriae persolve laboris
 Annua quas veterum lectio sola tulit.
 Ne renuat primam, dices, seges altera in herba est,
 Hanc subito expediam; proxima messis erit. 5
 Indoctum querulo vulgus si murmuret ore,
 Serius ad patrios te rediisse Lares.
 Non mirum, referes, vobis si tardior adsim,
 Per Latium fuerat longa terenda via. 10
 Grammatici veteres, tot Rethores, atque Poetae,

Prima quot Ausoniae Bibliotheca dedit.
 Gallia quot Critici, quot fert exotica tellus
 Nominis eximii, aut terra Britanna tulit:
 Convenimus tandem, et fulva luctamur arena,
 Ad vos haec praedae pars onerosa redit.
 Adde igitur: Redeo exuviiis indutus opimis.
 Longinquum per iter tam grave fertur onus.
 Ne tamen ista gravet moles operosa Lacones,
 In geminas partes, arte, secatur opus.
 Grandior aptatur pueris nitidusque Character,
 Ne mora sit studiis copia larga novis.
 Altera, quaeque Notis pars est incisa minutis,
 Ardua, praecipue, quas Ἐτερώσις habet.¹
 Haec potius, moneo, Philomusis convenit illis,
 Prisca quibus veterum lectio grata placet.
 Atque ita consului studiis juvenumque, senumque,
 Nil ut abesse velim, nil ut obesse velim.
 Nec piguit, vobis chartas implere capaces,
 Deforet ut nulla parte rogata fides.
 Nam quicunque volet Latiis pallescere chartis,
 Sentiet hoc minui forte labore suum.
[Cuiusdam Respons.] I Liber in patriam, invitis erepte: Sed audi,
 Heus, caveas segnes nectere, quae so, moras.
 I. licet, et Dominus quos te jubet ore salutes:
 Sed celer Oceani per vada nota redi.
 Ast prior ut cursu (socii modo lampada poscunt)
 Nominibus parili jungito Verba jugo.

M. RICHARDO COCBURNO, COMARCHI
Clerkintonii, praeclarae indolis, Filio.

Haec tua descriptsit longo mihi penna labore:
 Chalcographus celeri pinxit at arte tibi.
 Non tibi, quod tricis egeas puerilibus, inquam
 Iampridem Sophiae qui juga celsa colas.
 Iure sed exemplar tibi me debere fatebor,
 Si libet, et nostri pignus amoris erit.
 Prototypo autographon proprium, mihi crede, rependo,
 Pressa mea est philyrae pagina quaeque manu.
 Addiderim si quid, si quid limatus exit,
 Hoc tibi chirographi faenor instar erit.

G. SIMONIDES IUVENTUTI SCOTICAE.

Scotica jam tandem studiis laetere juventus.
 Ecce tuis nova lux oculis, nova fulget imago
 Grammatices, nunquam tenebris emersa profundis
 Ante, nec (heu miserum) vivis congesta tabellis.

¹ Ἐτερώσις is the usual misspelling for Ἐτεροίωσις, the substitution of one part of speech for another or a variation on a stock expression, also called ἔξαλλαγή and explained in Quintilian 9.3.12. Carmichael may be using the word here as a convenient alternative for catachresis, abusio, or something similar.

Quisque sed arbitrio (magnum seu molibus arcem Conderet, et vastum ruiturae Pelion Ossae) Fragmina vulsa suis raptim de montibus, uni Inseruit cumulo, forma, numerisque carenti. Prisca novis, nova congesgit pugnantia priscis.	5
Immensam vigilis molem Ninivita labore Consult, et studio insomnes hebetavit ocellos: Omnia seu posset sutili farragine solus Indere, seu sophiae solus foret ille reportor.	10
At rude turbatumque chaos, pelagusque profundum (Mole tuos, Lector, procul exsuperante labores, Ingenium, vires ultra, sortemque juventae) Protulit. hanc tandem meruit Ninivita coronam.	15
Irrita bis denos alii conamina Soles Occuluere (nec invideo) multosque per annos Indistincta suis cumulant monimenta libellis.	20
Non ego (nam lauri studio peperere coronam) Dente venenato veteres, seu Zoilus, omnes Insequor. hoc nostro procul, o procul ore facessat. Sed cursu potuisse, fero, breviore triumphum	
sumere, nec longum spaciis volitare remotis.	25
Quid moror? an tacitos quisquam superare recessus, Aut sublime jugum sophiae? nullumque reliquit. Omne tenens, apicem num mens ignara futuris? Lumine, luce sua mens et ratione carebit?	
Ergo suam patriae, et vobis, testatus amorem <i>Carmichael</i> studio veteres breviore coerct.	30
Hic Latiam Graiis exhausit fontibus undam, Et disjuncta prius conjuncta sede locavit. (Nam, tam facunda est Romanae gloria linguae, Partibus ut Graium multis imitetur honorem)	35
Hac sobolem tu parte vides, hac parte parentem. Mille locis quae sparsa legas collegit in unum. Non strictis adeo Martem Vulcanus habenis, Et Venerem, furtim denudans furta, ligavit,	
Quam brevibus sepsit veterum monimenta tabellis.	40
Prisca novis cedant, brevibus prolixa, diei Nox obscura, piae veraeque Aenigmata voci.	

Αύτὸς εὶς τὴν τοῦ Ιακώβου Καρμιχάελ ἐτυμολογίαν.

“Ημασιν ἐν τοῖσδεσσι πέλεν βούλημα θεοῖο
”Εκδηλον φανερὸν τε, (διὸς τὸ θέλημα γένοιτο)
Οὐ φάος (ώς ἡμεῖς) πρότεροι θαλπνῆσιν ἐν αὔγῆς
Οὐχ ὄροων πρόπαρονθε ζόφω κεκαλύμμενον ὄργῆς.
Τῷ δ' ἐνὶ στιλπνότερον φέγγος σανίδεσσιν ἐνέστι,
’Η πρότεροι φύλλοισιν ἐϋρραφέεσσιν ἔχουσι.
Τῷ κλέος ἐν πρῶτοισι μόνος μελεηδὲς ἄροιο. [lege μελιηδὲς]